LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

ACAD. ALB. REGIM. 1886. II.

RETRACTATIONES CRITICAE

H. IORDANI

DISSERTATIO EDITA

AD CELEBRANDAM DIEBVS XXVI M. IVNII III M. IVLII PIAM MEMORIAM

VIRORVM INLVSTRIVM

VON DER GROEBEN VON KOSPOTH OELMANN VON RHOD VON TETTAV

ET CLARISSIMAE FEMINAE

GEELHAAR E GENTE WVLFF

REGIMONTII
PROSTAT IN AEDIBVS HARTVNGIANIS
MDCCCLXXXVI

Heinrich & Kemke
Buchhandlung und Antiquariat
BERLIN N.W. 7
Dorotheenstrasse No. 8.

RETRACTATIONES CRITICAE

I

Varronis verba, quae linguae latinae sexto § 21 Müll. extant, identidem restituere tentavi Topographiae 2, 272. 274 Hermae hübneriani 15, 16 in Prellero 2, 21: ac ne nunc quidem, postquam Bergkii suspiciones olim a me neglectas Opusc. 1, 577 cum cura examinavi, eorum me paenitet quae ibi exposui, nisi quod aliquanto certioribus illa argumentis defendi posse intellexi. sic igitur in perditi schedarum antiquarum quaternionis apographis, e quibus Laurentianum 51, 5 primum locum obtinere constat, verba de quibus agimus tradita sunt: *opeconsiva dies ab ea ope consiva* (sic) *cuius in regia sacrarium quod ideo actum ut eo praeter virgines vestales et sacerdotem publicum introeat nemo is cum eat suffibulum aut* (*haut* 'codex B') *habeat scriptum id dicitur ne* (*ut* veteres editiones) *a suffiendo ut subligaculum.* iam primum videor mihi demonstravisse diei nomen fuisse *Opiconsivia* (non *Opeconsiva*), nomen deae *Ops consiva* (non *Ops consivia*): cuius quidem sententiae argumenta certa recoquere nil attinet. praeterea in eisdem verbis solet pro his *ab ea ope* restitui *ab dea Ope*: iniuria siquid video. nam haec Ops consiva, quae in regia colitur, a reliquis eiusdem nominis numinibus, quorum religio ad alia templa pertinet, pronominis indicio apte secernitur, ut nullus dubitem quin Varro dederit *Opiconsivia ab ea Ope consiva, cuius in regia sacrarium.* de hoc sacrario quae adiciuntur, *quod ideo actum, ut eo* e. q. s., ea vitio aliquo inquinata esse apparet: nam sacrarium non magis quam alia aedificia sacra profana publica privata agi actave esse dici posse non erit quin sine ulla haesitatione concesserit. ac Müllerus quidem, cum coniecit scribendum esse, *quod ita actum, ut eo* e. q. s. plane eadem qua codicis librarius lance censendus est: Huschkium qui restituerit *quode sanctum, ut eo* e. q. s., non solum violentiae incusare debebam, id quod feci Top. l. c. p. 274, verum etiam inlatae in Varronem traiectionis particulae, quae plane aliena est ab eius loquendi usu. quid multa? quod ibi ego proposui, *quod ideo artum, ut eo* e. q. s., id unice verum esse nunc quoque mihi persuasum est cummaxime. ac primum quidem

ideo particula Varroni est familiaris, veluti utitur ea eiusdem libri § 14 in *libris saliorum, quorum cognomen agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia,* et § 36 *horum verborum si primigenia sunt ad mille . . . ex eorum declinationibus verborum discrimina quingenta milia esse possunt ideo quia . . . fiunt,* quo solo in libris linguae latinae loco *quia* particulam usurpatam esse observavit Reiterus Quaestionum varron. gramm. p. 101. dein illud sacrarium non posse non artum fuisse nunc quidem, postquam regiae veteris rudera atrio regio continentia in lucem rediere, uni cuique apparebit: de quo vernorum meorum laborum fructu pluribus dixi in novis Instituti romani relationibus. quare velim documentis sive ex usu sermonis sive e rerum memoria depromptis utatur siquis improbaverit meam varroniani testimonii instaurationem unius illam litterulae permutatione commendatam, *quod ideo artum, ut eo praeter virgines vestales et sacerdotem publicum introeat nemo.* scilicet quis crediderit veteris regiae architectum sacrario illi spatium suum eis limitibus circumscripsisse, ut solis his, quos Varro nominavit, una ingrediendi facultas fieret: verum angustiarum illarum totius aedificii, quas nostris nunc oculis dimetimur, quid mirum quod Varro explicationem repetivit a iuris sacri regulis sane cum hac loci natura optime congruentibus? sed quae secuntur ea hucusque aut desperanda sunt visa aut attentata sunt audaci ac prorsus effrena coniecturarum licentia. mihi — ne longus sim — rursus simplici remedio quoque similia volnera aliquotiens efficaciter et secundum rationem curantur utendum visum est. nam expulso vocabulo eo, quod plane non posse ferri videbimus, *aut* (vel *haut*), substitutoque in eius locum vocabulo *ne*, quod ab ea sede quam nunc obtinet utique alienum est, enuntiatum evaserit neque sanae menti infestum neque contra sermonis leges contumax eiusmodi, *is cum eat, 'suffibulum ne habeat' scriptum. id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.* posse haec eo quem dixi modo corrumpi, nimirum glossa *haut*, quae pertinebat ad *ne* vocabulum inserta in contextum, expulso et paulo inferius rursus recepto hoc ipso, vix putaverim negaturum esse, qui glossematum fata per aliquot voluminum antiquorum historiam criticam persecutus sit. ac primum quidem *haut* illud a legum vetandi formulis plane alienum esse peritis constat, *aut*, quod sensu destitutum est, ei vero particulae quid possit subesse veri non adsequor. deinde cum illa *id dicitur a suffiendo* optime procedant Varronisque usum loquendi, quam sescenta librorum illorum exempla commonstrant, integrum referant, nil relinqui videtur nisi ut *ne* illud importunum eiciamus, id quod traiectione illa paene dixerim miti consilio effici consentaneum est: rudiore certe artificio Müllerus usus est, cum nulla insertionis causa excogitata simpliciter ineptum illud vocabulum eiecit. sed a verborum sententiaeque instauratione ad rerum, quas Varro perstrinxerit, examen convertamus.

Iam primum reputent oportet qui has iuris sacri reliquias huc illuc versare solent exiguam ingentis molis particulam ad nos perrepsisse, ut summa cautione, summa continentia opus sit supplementa necessaria excogitaturis. monueram equidem Topogr. l. c. p. 274 suffibulum non convenire sacerdoti publico, hoc est pontifici maximo sive pontificibus flaminibusque, convenire virginibus Vestae; inde effici ut *is* delendum illaque *cum eat* ad

virginum habitum trahenda sint. et hoc quidem nunc quoque sustineo, suffibulum, quod et testimoniorum veterum et artis operum luminibus adfatim inlustrari libri de aede Vestae atrioque, qui his ipsis diebus publici iuris fiet, p. 54 s. demonstravi, solis convenire feminis, praetextatum virginibus Vestae. actum dixeris de illis Varronis verbis. nil minus equidem ego dixerim constare. nam cum constet pontifices quoque rei divinae causa caput velasse superinducto togae limbo ut velasse nunc constat virgines suffibulo — plurimis eo quem dixi libro ea de re disputavi — quidni pontificibus, quibus cum virginibus intima vitae sacrae intercedebat communio, placuerit velamen capitis sub mento suffigere suffireve ad illarum morem, ut ab ea ritus permistione ipsorum librorum pontificiorum regulis fuerint avertendi? deinde cum dixi videri expungendum esse illud *is*, non reputavi ne sic quidem legitimo rectoque cursu orationem defluere: certe *eant* et *habeant* dicendum fuit; quae si restitueris, totius loci emendationes paene in immensum auxeris. aliae autem viae ad reciperandam Varronis mentem mihi quidem videntur occlusae esse. Bergkii certe de his verbis suspiciones — ut tandem redeam unde profectus sum — paucis licebat conficere. is enim 'hic quoque' ait 'multa interciderunt, quamquam certo restitui nequeunt': tamen sententiam eorum redintegrandam esse ait ad normam eorum quae de Ope consiva apud Festum p. 186 Müll. extent, deinde in adnotatione addit etiam *is cum eat* verba defectu laborare, restituendum esse *cum introeat.* multas novi Bergkii coniecturas in latinis scriptoribus infeliciter et subitario opere tentatas, infelicius quae evenerit vix ullam. ac primum quidem licuisse Varroni post verba quae sunt *introeat nemo* orationem commodius pertexere simplex vocabulum pro composito repetendo, *is cum eat*, nimirum *intro*, non putabam cuiquam posse dubium videri. alterum illud, quo loco ut ita dicam labanti fundamenta substruxisse sibi visus est vix ac ne vix quidem intellego. nam quae Festus e thesauris verrianis de Ope consiva exprompsit, terram eam esse videri, ideoque in regia a populo romano coli *quia omnes opes humano generi terra tribuat*, eis quid sit cum his varronianis, ubi ne hilum quidem de natura numinis significatur, verum omnia ad sacrarii formam sacrariique adeundi ritum pertinent, vellem dixisset vir doctus. apage nugas — nec felicius illi in toto hoc prooemino, in quo archetypi varroniani lacunas sibi investigandas sumpsit, rem cessisse censeo — scripsit Varro nisi omnia me fefellere, *Opiconsivia dies ab ea Ope consiva, cuius in regia sacrarium. quod ideo artum, ut eo praeter virgines vestales et sacerdotem publicum introeat nemo: is cum eat, 'suffibulum ne habeat' scriptum. id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.*

II

Gai Gracchi verba in glossis veteribus, unde pendet Charisius p. 196, 25, ex oratione *ut lex Papiria accipiatur* excerpta sic scripta leguntur in codice Charisii: *qui sapientem cum faciet qui et vobis et rei pūp. et sibi communiter prospiciat non qui pro sylla humanum trucidet.* nil effecisse eum, qui principem editionem curavit, scribendo *pro Sylla hominem*, verbo monuisse satis habeo: rem ipsam mihi videri acu tetigisse Nitzschium

nostrum cum libri de Gracchis p. 342 *pro sue hominem* restitueret professus sum Hermae 6, 494 itemque ibi admodum leni me manu putabam restituisse, quod ille subsensisset, scribendo *pro suilla humanam*. Displicuit hoc inventum Friderico Marx, cuius opusculis lucilianis plurimum tribuo, Musei rhenani 39, 71 s. neque quod displicuit obloquar viro doctissimo: sed hoc agitur, primum ut quae ego ad firmandam illam coniecturam attuli, ea argumentis de medio auferantur, deinde ut siquid novi ipse excogitaverit, id ne inane sit atque adeo certissimis redarguatur documentis. attuleram ego verba Catonis ex oratione contra Thermum a Gellio 13, 25, 12 excerpta, *succidias humanas facis, tantam trucidationem facis.* 'vide' ait ille 'quam diversa sint ista'! fateor me huius exclamationis vim sententiamque non adsecutum esse. nempe ego putaveram illud *succidias humanas facere*, cuius loquendi formulae acumen in suilli generis cum humano conparatione continetur — nos nisi me fallit opinio nostro sermone diceremus 'menschenschlächterei treiben' paulum imminuto comparationis vigore — proxime abesse ab hoc *pro suilla humanam trucidare* — nos rursus germanice haec facereremus 'menschenfleisch statt schweinefleisch zerhacken' vel 'menschenschlächter statt schweineschlächter spielen' — neque multo audaciore impetu eum provehi qui nefandum hominum trucidationem cum cruenta carnis suillae quam qui eam cum succidiarum suillarum dilaceratione comparaverit. neque magis adsequor quid sit quod argumenti instar adiecerit, carnis notionem meae obesse corrupti loci restitutioni: qua de re quem antestatur Büchelerus quid eiusdem musei 38, 479 dixerit nunc nec quaesivi nec quaerere interest: succidias enim humanas facere si dicere licuit, licuit etiam humanam pro suilla trucidare. itaque nauci esse quae contra me disputaverit vir doctissimus non dubito confidenter pronuntiare. nunc videamus quid ipse dederit. graeci vocabuli vestigium sibi visus est deprehendisse in scriptura ista *sylla*. quid igitur? scripserat Gracchus *qui pro asylo hominem trucidet* eisque verbis significaverat Nasicam, qui fratrem Tiberium pro aede Iovis optimi maximi capitolina trucidaverat, quem quidem teste Plutarcho vitae Tiberii 21 populus vocaverit *μεμιαγκότα φόνῳ σώματος ἀσύλου καὶ ἱεροῦ τὸ ἁγιώτατον καὶ φρικωδέστατον ἐν τῇ πόλει τῶν ἱερῶν*. diductis haec elementis ille typis exprimi iussit, ut emendationi inde nescioquid lucri redundare putaveris. at quid dixit scriptor latinus, unde haec paene ad verbum translata sunt? polluisse Nasicam *caede corporis sacrosancti* — et nota de tribuno plebis sermonem incidere — *templum urbis unum omnium totius populi veneratione sanctissimum*. vix enim aliter reddideris flosculos istos verborum cincinnosve singulariter fucatos: a quibus certe asyli notio plane aliena est. sed licet neque ab his verbis neque ab ullis aliis gracchanarum rerum testimoniis quicquam adiumenti suspicioni illi accedat, tamen videndum an potuerit Gaius asyli nomine Iovis optimi maxime aedem nuncupare. quod quidem fieri potuisse nego. et liberae quidem rei publicae aetate qui templis deorum dearumve populi romani *ἀσυλίαν* tribuerit, graecanici illud et nominis et iuris sacrum, neminem novi: nam de Ephesinorum fano loquitur Cicero orationum verrinarum 1, 33, 85, *Cereris* autem *asylum*, cuius meminit Varro apud Nonium p. 49, ad ritum religionum

peregrinarum pertinet. ut verbo comprehendam rem divinarum antiquitatum studiosis non satis familiarem — interim conferant illi quidem quae adnotavi in Prellero 1, 266, 1. 2, 38, 2. 427, 1. 2 — tum demum asyli asyliasve et notiones et vocabula latius liberiusve propagari patriisque populi romani religionibus inseri coeperunt, postquam ius asylias aedi divi Iulii attributa est lege pontificum conlegii auctoritate sancta: prorsus a gracchanae aetatis indole abhorret asyli nomen Iovis o. m. aedi inditum. scripsit igitur C. Gracchus ni fallor, *quis sapienter tum faciet?* — ita dubitanter et tum scripseram et nunc scribo — *qui et vobis et rei publicae et sibi communiter prospiciat, non qui pro suilla humanam trucidet.* et vide mihi quam incitatis ille infestisque verbis popularium partium beneficiis inmania nobilitatis flagitia opposuerit.

Sed idem vir doctissimus eodem loco eiusdem orationis gracchanae frustulum alterum facili opera a librariarum iniuriis sibi visus est vindicasse, quod ego frustulum non solum ab ipsius emendatione defendam verum etiam meomet consilio in integrum restituam. excerpta Charisii e Iulii Romani de interiectione commento teste codice sunt haec p. 240, 16, *em G. Gracchus ut lex Papiria accipiatur 'pessimi Ti. fratrem (ti* recte codex) *meum optimum interfecerunt: em videte quam par pari si* $\overline{n}$ *at'* (ita codex, *sint ut* editio princeps). *quidam em pro en volunt esse. sed decet commemorationi fraternae mortis ingemiscere. itaque mora distinctionis par est ostendere adfectus.* ita distinxeram orationem antequam loci gracchani emendationem repperissem: nam qui *at* illud grammatico tribuerunt, nescio an sensum eius sententiamque non recte ceperint. quid enim adversativa enuntiati forma confert enarrationi loci gracchani? immo officit ei quam maxime: *em* eum posuisse auctor est grammaticus idque suam sibi commiserationis notionem habere, non demonstrationis contra doctum quendam adversarium defendit. in quo nexu sententiarum *at* locum suum haberet, si dixisset grammaticus *at quidam en pro em scribunt;* nunc cum interpretationem suam verbis oratoris adiungat, alienum est a mente eius. ceterum rectene ille fecerit an operam perdiderit nolim properantius decidere: certe quae Ribbeckius de *em* et *en* particularum formis docte hercle et laboriose Symbolarum in particularum latinarum doctrinam p. 29 ss. exposuit litem dirimendi facultatem mihi non fecerunt. sed utut est *at* illud ad Gracchi verba relegandum esse apparet. at Marxius negavit sese intellegere horum exitum talem, qualem fere editores effinxerint, *par pari sim* aut *par pari sint.* ne ego quidem haec percipio: verum quod ille substituit *barbari sint,* eius sensum licet adsequar tamen idem, ut dicam quod sentio, ita hebetem esse existimo, ut eo antecedentis antitheseos vis plane extincta videatur esse, nequid dicam de neglecta clausula quae est *at.* quid enim? *pessimi* — scilicet furibundus haec exclamavit — *Tiberium fratrem meum optimum interfecerunt:* diceres conclusionem aliquam eamque virulentam insequi debere; *barbaros* ille eos nuncupasse putandus est trito vocabulo neque aut acerbo nimium aut faceto? at conclusionis vestigia certa remanent illa *par pari* e prisci sermonis consuetudine repetita. evolve lexica: invenies Plautum dixisse Truculenti 939 *pár pari respóndet,* Terentium Phormionis 34 *et vérbum*

3 0112 105477027

verbo, pár pari respondeas, eundem Eunuchi 54 *dénique par pró pari referto* (dummodo haec recte legantur: nam *para* Bembinus manu pr., *pro* om. Victorianus et Decurtatus), Atticum in epistulis Tullii ad ipsum datis 16,7,6 *provide sicui quid debetur, ut sit unde par pari respondeatur,* denique fortasse Tullium in eisdem epistulis 6, 1, 21 *habes ad omnia non, ut postulasti, χρύσεα χαλκείων, sed par pari respondimus:* ita enim scripserim, *paria paribus* codex mediceus, *respondimus* induxit Bootius. pertinet haec locutio ad veterem usum hominum latinorum vocabuli unius repetitione stimulos sententiae dandi nec latet nos horum stimulorum ratio. par pari enim respondere vel referre dicitur is, qui verbi ab altero dicti vim responso exaequat eadem vi instructo. quare si Gracchus dixerat pessimos optimo gratiam rettulisse par pari respondendo, acerbissimo dicto hominis beneficentissimi caedem immanem exagitaverat. dixit autem re vera — quis enim amplius dubitaverit? — *em videte quam par pari respondeant!* nam quod e codice Charisii enotatum est *par pari si n̄ at* id utique legendum est *si non at:* iam archetypi codicis librarius omissa post syllabam *-ri* errore proclivi syllaba *re-* haec dederat, *par pari spondeāt,* inde superstitis libri scriptor leviculo vitio lectionis effecit illa *par pari sinonat.* habes igitur quam dixi requiri conclusionem virulentam atque acerbam, cui recuparandae *at* illud grammatici ratiocinationi ademtum viam fecit.

Dat Regimontii d. 19 m. Iun. 1886.